



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 57. Belli Hungarici continuatio contra Ragotjanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. solutoque Parlamento novos Aulæ ob-  
 A. C. 1710. sequentes substituit.

## §. LVII.

*Belli Hungarici continuatio contra  
 Ragotsianos.*

Interim in Hungaria hoc quoque anno pro hujus belli genio varia & multiplex fuit expeditio; præprimis enim Löffelholzius Cæsareus Bellidux Lentsoviam Ragotsianis deditioe eripuit, quam urbem per plures Menses non modo præsidiariorum pertinacia, sed potissimum perfidia sustinuit Calvinistarum, qui in menses plures frumenta obsessis subministrarunt, toto hoc bello rebellibus fideliores, quam Regiis. Postea Ragotsiani a Sichingio Præfecto ad Ypolum, & rursus ab Hochbergio Nitriæ Præfecto cæsi fuere, quam tamen suorum cladem inhumana Ladislai Ocskaii nuper capti morte ulciscabantur: vicissim vero Heisterus, Palfius, alique Belliduces, Scolnockino, Partfelda, Eperiesino Scepusiensi arce, Ujvarino, Neosolio, Agria, Tockaio aliisque urbibus rebelles ejecerunt: cum vero Adamus Baloghus cum rebellium latronumque agmine inferiorem Hungariam, capto etiam Francisco Esterhasio Comite multisque Nobili-

bilibus, foede depopularetur, a Palfio Sæc. XVIII.  
 strenue infectatus, captusque in vin- A. C. 1710.  
 cula conjectus est. In Transylvania  
 quoque Petrus Adami Frater hanc  
 Provinciam crudeli deprædatione ex-  
 haufit, a Rabutino tamen Viro armis  
 & literatura præstantissimo non sine  
 clade repulsus: Ragotsius interim, cum  
 fuorum arma ferme ubique a Cæsa-  
 reis fracta cerneret, per suos Oratores  
 Gallicæ legationis ope & facundia suf-  
 fultos apud Vezirium pro obtinendis  
 militum suppetiis, vel saltem hostili  
 irruptione agebat: jam etiam commu-  
 nis fama ferebat, quod Turcæ sub ob-  
 tentu Suecorum Regem in pristinam  
 Sedem restituendi, ingentes copias  
 cogant, easque Hungariæ, Poloniæ,  
 aliisque Principum Christianorum Pro-  
 vinciiis admovere moliantur: quapro-  
 pter Pontifex etiam die decima tertia  
 Septembris de hoc periculo Venetos  
 admonuit, petiitque, ut decimas ex Ec-  
 clesiasticis proventibus nuper a Papa  
 concessas ad repellenda Barbarorum  
 molimina, remque Christianam ab in-  
 gruenti periculo eximendam impende-  
 reut. Magis vero adhuc dolendum  
 erat, quod Ragotsio non defuerint ex  
 Viris Ecclesiasticis nonnulli, qui ne-  
 fandæ rebellionis socii in Cæsarem mo-  
 tus, & seditiones concitarent. Hos  
 inter

Sæc. XVIII. inter erat præcipuus Agriæ Episcopus  
 A. C. 1710. qui læsæ Majestatis reus in Hungariæ  
 Regno seditiosas turbas concitavit: quo-  
 circa summus Pontifex Christiano Au-  
 gusto Cardinali de Saxonia, & Hun-  
 garicæ Primati die octava Novembris in  
 mandatis dedit, ut in hunc Episco-  
 pum aliosque Ecclesiasticos ejusdem  
 criminis reos judicii acta instrueret  
 eaque suo sigillo munita Romam trans-  
 mitteret, simulque Episcopum Vane-  
 dinensem, qui propria auctoritate pos-  
 sessionem Ecclesiæ Agriensis occupa-  
 verat, ad hanc Ecclesiam mox dimit-  
 tendam, serio admoneret.

## §. LVIII.

*Sperellus Sperelli Cardinalis  
 mortuus.*

*Vit. Card.  
 t. I. p. 134.*

Præter Turnonium Cardinalem, cu-  
 jus obitum uberrimis lacrimis de-  
 plorabat Pontifex, hoc item anno Sa-  
 crum Purpuratorum Collegium lugebat  
 jacturam Sperelli Cardinalis patriæ  
 Assisiensis. Hic sub Patruï sui Fran-  
 cisci Sperelli San - Severini Episcopi in  
 pietatis ac literarum studio enutritus,  
 in Perusino Collegio jurisprudentiæ lau-  
 ream emeruit: inde ad alium Patruum  
 suum Interamensem Episcopum pro-  
 fectus, magnos in virtutibus, scientiisque pro-